

Materia prima in sua essentia nullum continet actum, sed solum potentiam ita tamen, ut nomine potentiae non qualitatem significemus, sed substantiam quandam, quae est fons seu radix hujus qualitatis, nempe substantiam quandam imperfectissimam, in completam secundum speciem & inchoamentum omnium specierum. His verò se opponunt *Toletus*, *Pererius Morisanus*, *Mendoza*, alii. *Toletus* l. 1. c. 7. p. 34. ait, conclusionem hanc, materiam habere actum aliquem secundum se, adeò certum esse, ut oppositum intelligi non possit. *Pererius* l. 5. c. 13, p. 310. Materiam primam actum esse, existere non formae, sed propriae suae existentiae, ex illius productione, permanentia, formam pereunte, prioritate & similibus probat. *Morisanus* disp. 1. quest. 2. ait: Materia non est pura potentia objectiva, sed includit actum entitativum. Probatur ex Aristotele, & evidenti ratione, quia est verum ens reale, positivum, & substantia quaedam partialis, constituens aliquid cum formam entitativè perfectius, quam sit sola forma. *Mendoza* disp. 2. sect. 6. p. 229, sententiam, quae materiae primae actus & existentia negatur, intelligibilem, contra veram materiae essentiam, contra educationem formarum materialium è potentia materiae, contra materiae creationem, contra materiae incorruptibilitatem, contra materiae subsistentiam, quae existentiae modus est, esse asserit. Sic *Jacchaeus* essentiam materiae primae exponit his verbis: Est Materia principium, ex quo res naturalis fit, non per accidens, sed per se tanquam subjectum primo. Definitionem explicat hoc pacto. Dico ex quo, ut distingvatur causalitas materiae ab aliarum causarum causalitatibus. Nec enim ex formam & Efficiente fit aliquid, sed per formam ab Efficiente. Dico, non per accidens, ad excludendam privationem, quae non componit rem naturalem: proinde respectu rei jam compositae dicitur principium per accidens. Dicitur tanquam ex subjecto primo, ut excludantur formae substantiales rerum naturalium.

§. 4. Qualis verò tandem Materia prima sit, ita inferunt: Eam ingenerabilem esse & incorruptibilem, sive ortu & interitus expertem; dici quidem subjectum generationis